Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

explicata est laus dei nostri. Bonus dominus. sed bonus non ut sunt bona que fecit. Nam fecit deus om
nia valde bona. Non tantum bona. sed et valde. Celum et terram. et omnia que in eis
sunt bona fecit. valde bona fecit. Si hec omnia bona fecit. qualis est ille qui fecit?
Et tamen cum bona fecerit. multoque sit melior qui fecit [quam ista que fecit] non invenimus melius quod de illo
dicas. nisi quia bonus est dominus. si tamen intelligas ipsum bonum. a quo sunt cetera bona. Omnia
enim bona ipse fecit. Ipse est bonus. quem nemo fecit. Ille bono suo bonus est. non aliunde
participato bono. Ille se ipso bono bonus est. non adherendo alteri bono. Mihi
autem adherere deo bonum est. Qui non eguit a quo fieret bonus. sed eguerunt illo cetera
ut fierent bona. Vultis audire quam singulariter ille sit bonus? Dominus interro
gatus dixit. Nemo bonus nisi solus deus. Hanc singularitatem bonitatis eius preteri
re breviter nolo. et commendare congrue non sufficio. Metuo si hinc cito transi
ero. ego ingratus inveniar. iterum metuo ne hoc cum explicandum suscepero. sub tan
ta laudis dominice defatiger. Sed tamen fratres accipite me et laudantem. et non suffici
entem. ut etiam si non impleatur illius laudis explicatio. accipiatur laudatoris devotio.
Approbet me ipse voluisse. ignoscat non implevisse. Ineffabili dulcedine teneor.
cum audio bonus dominus. Considerantisque omnibus et conlustratis que forinsecus video. quam
ex ipso sunt omnia. etiam cum mihi hec placent. ad illum redeo a quo sunt. ut intelligam quoniam bonus
est dominus. Rursum cum ad illum quantum possum ingressus fuero. interiorem mihi et superiorem
invenio. quia sic bonus est dominus. ut istis non indigeat quo sit bonus. Denique ista non lau
do sine illo. illum autem sine istis perfectum bonum invenio. non indigum. incommutabilem. nullius boni que
rentem quo augeatur. nullius mali timentem quo minuatur. Et quid dicam amplius?
Invenio in creatura celum bonum. solem bonum. lunam bonam. stellas bonas. terram bonam.
que gignuntur in terra. et radicibus innixa sunt bona. que ambulant et moventur bona.
que volitant in aere. et natant in aquis bona. Dico et hominem bonum. Homo enim
bonus de bono thesauro cordis sui profert bonum. Dico et angelum bonum. qui non est
lapsus superbia. et dyabolus factus est. sed inhesit obediendo ei a quo factus est. Omnia
ista dico bona. sed tamen cum suis nominibus. celum bonum. angelum bonum. hominem
bonum. Ad deum autem cum me refero. puto nichil melius dicere quam bonum. Ipse quip
pe dominus noster ihesus christus dixit. Homo bonus. Et iterum ipse dixit. Nemo bonus nisi deus so
lus. Nonne stimulavit nos ad querendum et ad distinguendum quid sit bonum
alio bono bonum. et bonum se ipso bonum? Quam quod bonum est a quo sunt omnia bo
na. Omnino nullum invenias bonum. quod non ab ipso sit bonum. Bonum bona faci
ens sicuti est ipse. sic et bonus est ipse. Neque enim ea que fecit non sunt. aut iniuria illi fit
cum dicimus non esse que fecit. Quare enim fecit. si non sunt que fecit? Aut quid fecit. si nichil est quod
fecit? Cum ergo sint et illa que fecit. veniunt tamen ad illius comparationem. et tamquam so
lus sit dixit. ego sum qui sum. et dices filiis israel. qui est misit me ad vos. Non dixit.